



**B**erno Vandalorū apostolus pietate & doctri-  
na nulli suo tempore secundus extitit. Itaque  
Megalopolensis 3 episcopus electus fuit. Incredibi-  
le dictu quantos is pro Christo labores, & que pe-  
ricula uitæ subierit. Nam demonum apud Barba-  
ros cultum sustulit, lucos succidit, atq; Christiano-  
rum religionem plurimis in locis plantauit. Cum  
etiam Henricus Leo potens Saxonix dux ex An-  
glia reuersus esset, atq; Megalopolensem episcopa-  
tum certis de causis Suerinum transtulisset, hic Ber-  
no primus eius ecclesiæ antistes constitutus fuit,  
circa annum Christi 1190. In eo loco Berno decenti  
ordine omnia disposuit, ac tandem moriens Brun-  
uuartum successorem accepit. Crantz. in Vand. lib. 6. cap. 36.